

1182 et quia imperator transalpinaverat,¹ ambo electi presentantur imperatrici, utrum ante vel post consecrationem, non satis recordor. Henricus in episcopum Pragensem consecratus domum revertitur, et Pragae cum tripudio solius Boemiae suscipitur. Suscepto igitur episcopatu dici non potest, quam benignum exhibuerit se omnibus et gratiosum, nullum parvipendens, nulli derogans vel invidens, sed in commune omnibus exhibens, quod iuris esset et honestatis. Hospites ad se venientes et maxime spirituales in osculo pacis semper suscepit, bene tractavit et dimisit. Cumque foret omnibus affabilis, nulli tamen erat facile familiaris nisi notissimis, ut valde sobrius, quem raro cenantem sed nunquam ebrium experti sumus, quod nimirum homines non virtuti adscribunt, sed parvitati, sed aliud est iudicium hominum, aliud Dei; attamen inter multas virtutes, quibus claruit, ~~vicio~~ vitio parvitas non caruit. Canonem servitii Dei devote complebat, missarum vero sollemnitas raro licet, tamen devotissime et nonnunquam cum multo imbore lacrimarum,

1) 1182 nach Jördrig I. nicht in Italien, sondern first fude
Hori rium Goflag in Norinz (N. 4339 - 4344)